Fragmentarium

lat me factor meus. XXXIII
Audi igitur iob eloquia mea et
omnes sermones meos auscul-
ta. Ecce aperui os meum loqua-
tur lingua mea in faucibus me-
is. Simplici corde meo sermones
mei et sententiam labia mea puram
loquentur. Spiritus dei fecit me et spi-
raculum omnipotentis vivificavit
me. Si potes responde: Redde mihi et ad-
versum faciem meam consiste. Ecce et me
sicut et te fecit deus. et de eodem lu-
to ego quoque formatus sum. Verump-
tamen miraculum meum non te terreat. et e-
loquentia mea non sit tibi gravis. Dixis-
ti ergo in auribus meis. et vocem verborum
audivi. Mundus sum absque peccato ego et
absque delicto immaculatus et non est
iniquitas in me. Quia querelas in me
repperit. Ideo arbitratus est me ini-
micum sibi. Posuit in nervo pedes
meos custodivit omnes semitas me-
as. Hoc est ergo in quo non es iustifica-
tus. Respondebo tibi quia maior sit deus
homine. Adversus eum contendis quod non ad
omnia verba responderit tibi. Semel loquitur
deus. et secundo id ipsum non repetit. Per
somnium in visione nocturna
quando irruit sopor super homines et dormi-
unt in lectulo: tunc aperit aures
virorum et erudiens eos instruit
disciplina. Ut avertat hominem ab
his que fecit. et liberet eum a super-
bia. Eruens animam eius a corruptio-
ne. et vitam illius ut non transeat in
gladium. Increpat quoque per dolorem
in lectulo. et omnia ossa eius marcescere fe-
cit. Abhominabilis ei fit in vita
sua panis et anime illius cibus ante desi-
derabilis. Tabescet caro eius et ossa
que tecta fuerant nudabuntur. Appropin-
quabit corruptioni anima eius et vi-
ta illius mortiferis. Si fuerit pro
eo angelus loquens unum de milibus
ut annuntiet hominis equitatem: mise-
rebitur eius et dicet. Libera eum ut non
descendat in corruptionem. Inveni
in quo ei propicier. Consumpta est caro eius a
suppliciis. revertatur ad dies adolescen-
tie sue. Deprecabitur et placabilis ei e-
rit. et videbit faciem eius in iubilo
et reddet homini iustitiam suam. Respici-
et homines et dicet. Peccavi et vere deli-
qui. et ut eram dignus non recepi. Libe-
ravit enim animam suam ne pergeret
in interitum. sed vivens videret lucem.
Ecce hec omnia operatur deus tribus vici-
bus per singulos ut revocet animas eo-
rum a corruptione. et illuminet in
luce viventium. Attende iob et au-
di me. et tace dum ego loquar. Si
autem habes quid loquaris: responde mihi. Vo-
lo enim te apparere iustum. Quod si non
habes: audi me. tace et docebo te
sapientiam. XXXIIII
Pronuntians etiam heliu
hec locutus est. Audite sapi-
entes verba mea. et eruditi
auscultate me. Auris enim verba probat.
et guttur escas gustu diiudicat
Iudicium eligamus nobis. et inter nos
videamus quid sit melius quia

License: public_domain – Brussel/Bruxelles, Archief O.C.M.W. Brussel / Archives C.P.A.S. de Bruxelles, O 36, fol. [ii] v – Bible (https://fragmentarium.ms/view/page/F-t5mw/9255/68562)